

FRANCISCI PATRICII
PANCOSMIAS
LIBER DECIMUS
DE CÆLI ROTUNDITATE.

Sed nondum patuit, quo interstitio in parte supera ab Empyreo separetur; neque a parte infera quo alio disterneretur, ab ignis sphaera, quam Aristoteles de Empyrei loco videtur infra cœlum detrusisse. At forte, hæc palam fient, si discutiatur prius, an cœlum sit rotundum. Verum cur discutiamus, quod tam Astronomi omnes, et philosophi fere omnes, pro comperto, ac certo iam diu habuerunt, et adhuc habent? Id quamquam ita credant. quia Theologi magni, et multi satis, Iustinus, et Basilius, et Ambrosius, et Chrysostomus, et Theodoretus, et Theophylactus, et Procopius, et maxime omnium Lactantius, id ipsum pernegant, sunt nobis, quam possimus exacte, Astrologorum, ac philosophorum, rationes examinandæ. Ac videtur, nobis omnium maxime res hæc discutienda, qui cœlum, fluorem esse asseruimus. Fluor autem sui natura videatur consistere non posse, neque ullis suis, et non nisi alienis terminis, a fusione sisti posse. Neque figuram ullam, nisi qua ei a proximo indita fuerit, posse habere. Rationes autem Aristotelicæ, quæ maxime visæ fuerant validæ, anteriore libro, nullarum virium evasere. Itaque in hanc quæstionem est nobis ingenii viribus omnibus incumbendum, ut quo nos philosophicæ rationes deducant cognoscamus.

Dogmatis huius, cœlum esse rotundum, videtur Zoroaster, primus author fuisse. Dum enim, septem mundos corporeos constitueret, cecinit.

Τὸν οὐρανὸν κυρτῶ χήματι περικλείσας.

“Cœlum curva figura circumcludens.”

Sed nobis, qui, ut sæpe iam diximus, nullis præterquam divinis autoritatibus, et philosophicis rationibus, et experimentis philosophamur, non sunt hæc tam facile admittenda. Et præsertim quod κυρτὸν χῆμα, curva figura, non illico est sphaerica. Nam et conica, et cylindrica, et ovalis, et alius formæ alicuius esse potest. Si universum mundum, quem nos parte externa infinitum esse demonstravimus, sphaericum esse dicerent, nihil amplius ab eis exquireremus. quia in infinito, omnes linea a centro ductæ, infinitæ sunt, ideoque æquales et rotunditatem necessario in eo efformant, sed nullis, aut suis, aut alienis terminis circumscriptam. Sed mundi partem intrinsecam, cœlum, nulla centri, nulla linearum æqualitas, esse cogit sphaericum. At multas inquiet Astronomi, adducemus ad id probandum rationes, et experimenta multa, omnibus iam admissa, et credita. Quibus dicemus nos, si philosophi sint, philosophice nobiscum agant, et rerum causas una vestigent. Eorum ergo rationes, revocemus in examen, deinde experimenta perpendamus. Philosophantium, qui cœlum dixere sphaericum, partim vacuo ipsum circundederunt ut Stoici. Alii circundederunt nihilo, Pythagorei, Plato, Peripatus, qui extra cœlum, ne vacuum quidem videntur posuisse. Priorum, alii sphaericum fecerunt, alii conicum, sicuti alii ovale. Posteriores omnes sphaericum. Rationes duas attulit Timoeus. Ut sibi simile esset, ut omnes caperet figuras. Eisdem has causas repetiit Plato. Eis tertiam addidit, ut perfectissimum animal, omnia in se posset capere animalia reliqua. At dicimus nos, cur non et cylindrus, et lenticularis reliquas non capiat figuras? Et Ovum Zoroastro, et Orpheo omnes continuit Deos, hos eosdem qui intra mundum sunt. Sed et quid oportuit, cœlum sibi simile totum esse? Quando, etiam si rotundum sit, sibi simile totum non est. Quem enim lacteæ similitudo tam sibi dissimilis cum partibus cœli reliquis? Quæ similitudo, diaphanarum partium cum opacis iis, quas veteres, et recentes Astronomi, in obscuris sideribus, et nebulosis observarunt? Quæ item similitudo cum iisdem diaphanis habent nigræ in cœlo maculæ ad antarticum, et nubeculæ eum cingentes? Quæ tandem similitudo earumdem cum astris ipsis, non diaphanis ullis, fulgentibus fere omnibus? Et inter hos fulgores, quæ nam est similitudo, cum tam variarum specierum sint, quot sunt ipsi. Cum igitur, tanta sit in cœlo ingentium partium dissimilitudo, quæ necessitas ipsum cœgit, ut in